



# D U D O

VII,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 936.

Leonis VII Pont. 1.

Ottonis Regis Germ. 1.

Dudonis Ep. Pad. 1.



ER hæc fortunata Saxonix tempora, Unwano subrogatus Dudo Septimus Paderbornensis Episcopus; quem licet in xxv annum Auctor vitæ Meinwerci, Gobelinus, Crantzius, ceterique Scriptores Episcopatum gessisse memorent; neq; tamen hi ipsi, neque Superiorum temporum Scriptores ea nobis de Dudone tradiderunt, quæ nos explicatius ab ijs desideramus. Quare nec origo familiæ, nec vitæ ratio ante Episcopatum, nec consecratio, nec cetera, quæ ab eo specialiter sunt gesta, suppetunt. Unde ea tantum quæ ex publicis synodis, quibus interfuit, aut quæ in diplomatis, Regumque donationibus & factis, per hanc diocesis memorabilia sunt, referemus.

Henrici  
Regis  
obitus &  
laus.  
*Widekindo*  
*lib. 1.*

Igitur primo anno, quo Episcopatum adiit, videlicet 936, Henricum Regem amisit. Statuerat Rex, debellatis circum gentibus & in tributum subactis, Romam proficisci, & Caroli M. exemplo trophæa victoriæ S. Petro offerre; cum paralyti correptus iter intermittere necesse habuit. Post ubi in mortem se urgeri sensit, convocato populo, Ottonem filium designavit Regem, &, quia natu maximus optimusque fratrum erat, Francorum imperio præfecit. Testamento deinde facto, & rebus omnibus, quibus animæ consulendum erat, compositis, vi Nonas Julij piæ placideque excessit à vita Mimlebiæ in confinijs Saxonix & Thuringiæ, magno omnium Episcoporum & populi luctu. Corpus Quidleburgum transvectum, conditumq; in Basilica monasterij ad aram. Castrum, in quo obiit, Machtildis in cœnobium